



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Quomodo magnetis trahens vis ad libram expendi possit. Cap. XIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)



*Situs contrarias lapidum virtutes reddit.*

## CAP. XVIII.

**N**EC admiratione vacabit, ut ratione, quod situs, contrarias vires ostendit, ex omnibus quæ diximus: nam aliud operatur lapis, si supra admoueas, & aliud infra: nam si in æquilibrio lapidem accommodabis, vel in cymba, & supra lapidē admoueas, trahit, respuitque, ut supra memorati sumus, at si infra lapidē admoues, contraria operabitur: nam pars ea, quæ supra trahēbat, infra expellit, & infra trahet, quæ supra expellebat, scilicet si supra, & infra ad perpendiculum lapidem locabis. Quibus experimentis clare videri potest situm contraria efficere, & virium vices mutare. Vnde in eius operationibus maximè attendendus est situs, si magnetem supra, vel infra admoueris.

*Quomodo magnetis trahens vis ad libram expendi possit.*

## CAP. XIX.

**P**OSSVMVS vim attractricem illam, expultricemque magnetis metiri, vel lancib. æquilibrare, quod non parui erit momenti in sequentibus speculationibus, & præcipuè perpetui motus, ac in aere pendulum ferrum sistendi, vbi æqua, & mensurata vis trahendi à circumferentia ad centrum perquiritur. Artificium erit huiusmodi. Magnetis frustum in lancem ponimus, in alteram tantundem pōderis alterius rei, ut æquè pendeant lances: mox ferrum supra tabulam iacens accommodamus, ut magneti in lance apposito hereat, & secundum eorum amica puncta, ut perfectissimè cohæreant. In alteram lancem harenam paulatim iniicies: idque donec lanx à ferro separetur. Sic harenæ pondus expendendo, quæsitam magnetinam vim habebimus. Possumus & ferrum in lance affixum accommodare, & magnetem in terra iacentem.

*De mutua magnetis & ferri attractione, & expulsionē.*

## CAP. XX.

**I**AM ad alterā nostri tractatus partem deuentum est, in qua mutua magnetū cōsortia, & diuortia discutiētur.